

D. Liddelius.
G. Cocius.
de signis in genere, et de signis insalubribus diagnosticis.
1598.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 166 [11,-205 4°]




Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 166 [11,-205 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 166 [11,-205 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 166 [11,-205 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 166 [11,-205 4°]



Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 166 [11,-205 4°]

11,-205.
DA BOX
(LN bis 166)
BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 166 [11,-205 4°]

DISPVTATIO
DE SIGNIS IN GENERE, DEINDE DE SIGNIS INSALVBRIBVS DIAGNOSTICIS.

Ad quam
D. F. N.

Præſide

DVNCANO LIDDELIO PHIL. ET MEDICINAE DOCTORE, IN ILluſtri IVLIA publico profeſſore ibidem,

Reſpondebit

GEORGIVS COCIVS FLENSburgenſis Holſatus.

Menſe Maio.

HELMAESTADII
Excudebant hæredes Iacobi Lucij, Anno
M. D. XCVIII.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 166 [11,-205 4°]

Magnifico, Generoſo, ſtrenuiſſimoq;
Viro ac Domino

HENRICO AB Alefelt/
SERENISS. REGIS DANIAE IN
DVCATIBVS SLESVICI ET HOLSA-
tiæ Conſiliario: adminiſtratori præfectu-
ræ Flensburgenſis Domino in
Satropholm & Doll-
rath &c.
Mecænati ſuo Magno &c.

ET

AMPLISSIMIS, PRVDENTISSI-
MISQVE VIRIS, DOMINIS CONSV-
libus, cæteriſque iuclutæ Flensburgenſis
Reipub Senatoribus,

*Dominis ac promotoribus ſuis
vnicè obſeruandis.*

*Haſce theſes
Reuerenter dedicat*

Reſpondens.

BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 166 [11,-205 4°]

THESIS I.

HActenus de affectibus, affectuum cauſis & ſymptomatibus dictum eſt: quorum cognitione, illa Medicinæ pars abſoluitur, quæ Pathologia propriè vocatur. Conſequens eſt, vt σημειωτικὴν *proponamus: Cuius ſcopus eſt ex notis & euidentibus, omnem corporis conſtitutionem, omneſq; affectus, affectuum ſedes & cauſſas patefacere & manifeſtare. Hæc pars Medicinæ omnium propemodum digniſsima & medico maximè neceſſaria eſt: Dum enim latentes morbos præſentes per ſigna dignoſcimus & quæ præterita ſunt, tanquam præſentia commemoramus, quæq; ventura ſunt prædicimus; non ſolum quid in curatione faciendum, quidue omittendũ ſit cognoſcimus: ſed etiam auctoritatem noſtram apud ægros conſeruamus, ac præterea diuinam quandam artem profiteri putamur.* Signorum dignitas.

2. *Nam artis medicæ proprium eſt omnem partem affectam, omnemq; affectum & affectus cauſam in humano corpore dignoſcere: deinde quæ ventura ſunt præuidere & prædicere: tandem, ſi affectus ſit ſanabilis, curare. Quare dignotio & prænotio à medicis curationis cauſſa inſtituitur.* Medici officium.

3. *Eſt autem* σημειωτική, *vt vox ipſa ſonat, nihil aliud quàm doctrina ſignorum: Signum, aliàs nota ſiue indicium, eſt alicuius rei ſignificatiuũ & ad rem ſignificatam ſiue ad ſignatum propriè refertur. Nam rem aliquam ignotam ſemper ſignat, id eſt, declarat & demonſtrat. Proinde ſignum, omnium Philoſophorum conſenſu, eſt quod ex ſenſuum notis ducit ad ignoti cognitionem: & ſignificare nihil aliud eſt quàm vnum ex alio manifeſtare. Verum hoc modo ſignum generaliter ſumimus, ſub quo comprehendimus ſigna neceſſaria, quæ* τεκμήρια, *& non neceſſaria, quæ ſimpliciter ſigna ab Ariſtotele 2. priorũ dicuntur.* Simpliciter ſignũ quid?

4. *Medicis verò ſignum, eſt propoſitio in mente producta à certis ſenſuum obiectis vel ex rebus manifeſtis demonſtrans* Signum medicum.

ignotum aliquod in arte medicâ. Cognoſcitur enim ſignatum ex ſigno demonſtratione ὅτι *ab effectu, vel à cauſſâ remotâ. Quare omne ſignum nobis notum erit & ſemper petendum vel ab effectu, qui conſequitur ſignatum: Vel à cauſſa euidenti, quæ præcedit. Nam cum notum ſit, effectus à ſuis cauſſis oriri, non mirum videbitur, ſi ex vno noto alterum protinus mens concipiat & concludat, licet expreſſa aliqua ratiocinatio non ſit.*

5. Sub cauſſis comprehendimus plerumq; cauſſas externas, ſcilicet, aërem, victus rationem, conſuetudinem &c. Interdum cauſſas internas, ſcilicet, humores, ſexum, ætatem, habitum corporis &c. præterea quæ eſſentiam cuiusq; cauſſæ & effectus conſequuntur, ac quoq; iuuantia & lædentia. Sub effectis verò continentur accidentia ſanorum & ſymptomata ægrorum: Item, memoria præteritorum affectuum & conſideratio morborum publicè graſſantium: vnde ex ſimilitudine de alÿs morbis iudicamus.

Diuiſio ſignorum. 1.

6. Signatum, quod ſigno cognoſcitur & manifeſtatur, eſt corporis conſtitutio, & quæ in eâ conſtitutione eueniunt. Conſtitutio autem triplex eſt: Sana, ægra, & neutra. Proinde omnia ſigna, aut ſalubria aut inſalubria, aut neutra erũt. Salubria autẽ quæ ſanam; inſalubria quæ morbidam; neutra quæ mediam conſtitutionem corporisq; conditionem oſtendunt & manifeſtãt.

Diuiſio ſignorum 2.

7. Deinde omnis conditio corporis, vel præſens eſt, vel futura, vel præterita. Quare ſigna omnia triplicia erunt: 1. διαγνωστικὰ, *quibus præſentem conſtitutionem intelligimus: 2.* προγνωστικὰ *quibus futurum corporis ſtatum, & ea quæ poſt euentura ſunt præcognoſcimus: 3.* ἀναμνηστικὰ, *quibus præterita percipimus & commemoramus. Signorum diagnoſticorum & prognoſticorum maximus, planèq; neceſſarius in medicinâ vſus eſt: Commemoratiuorum non item. His præmiſſis, de ſignis inſalubribus nunc tantum agimus.*

Signa in-

8. Omnia ſigna inſalubria vel communia ſunt vel propria:

Dein-

Deinde vel ſeparabilia vel inſeparabilia. propria & inſeparabilia ſigna, παθαγνομονικὰ dicuntur: Communia & ſeparabilia ſigna in morbis, communi nomine συνεδρεύοντα dici poterũt. Sunt autem παθογνομονικὰ ſigna quæ cum morbo incipiunt & deſinunt, & pro magnitudine morbi augentur & minuuntur, propriamq; morbi eſſentiam declarant. Talis in pleuritide eſt dolor in latere pungens cum tuſſi & febri acutâ.

ſalubria duplicia.

Signa παθογνομονικὰ.

9. Συνεδρεύοντα ſiue aſsidentia ſigna ſunt, quæ neceſſario morbis non cohærent, nec ex morbi eſſentiâ immediatè procedunt, ſed vel magnitudinem, vel durationem & motum, vel morem, aut euentum morbi declarant. Proinde ſub aſsidentibus comprehendimus ſigna critica: deinde ſigna lethalia & non lethalia, quæ euentum morbi demonſtrant: tertiò ſigna cruditatis & concoctionis, quæ diuturnitatem morbi: in ſummâ, omnia ſigna ἐπιγινόμενα & ἐπιφαινόμενα. Sunt autem ἐπιφαινόμενα, ſigna quæ morem, motum & euentum morbi declarant. proinde triplicia erunt ; 1. quæ concoctionem & cruditatem; 2. quæ ſalutem & mortem; 3. quæ modum, ſalutis vel mortis declarant. Hæc eadem ſigna communiter ἐπιγινόμενα dicuntur: Verum propriè ἐπιγινόμενα vocantur ſigna maligna in morbis, vt deliriũ in pleuritide, aut quando morbus in deteriorem degenerat. Pathognomonica ſigna propriè diagnoſtica dicuntur; aſsidentia verò magna ex parte, ſed proprijs ἐπιφαινόμενα, prognoſtica, ſequenti diſputatione apparebit. De ſignis diagnoſticis nunc tantum agemus.

συνεδρεύοντα.

Signa ἐπιφαινόμενα.

ἐπιγινόμενα.

10. Demonſtrant ſigna διαγνωστικὰ præſentem ſtatum ægri. Conſiderantur in ægro quatuor: 1. ipſe affectus aut morbi ſpecies: 2. pars affecta: 3. cauſſa affectus: 4. actio læſa, cæteraq; ſymptomata. Verum ſymptomata quia ſenſibus manifeſta ſunt, ſignis non indigent; ſed ex ſymptomatibus cætera tria manifeſtantur. Quare ſigna omnia aut affectum, aut partem affectam, aut cauſſam affectus oſtendunt: licet plerunque commu-

Signa Διαγνωστικὰ triplicia.

nia

nia quædam ſigna ſunt, quibus ſemel affectum aut partem affectam & cauſſam deprehendimus: imò pauca ſunt ſigna affectuum, qui non ſimul locum & cauſſam demonſtrant, vt Galenus 1. de locis admonet.

Affectæ partis dignotio.

11. *Ac primum pars affecta ſi in ſuperficie ſita ſit, vnà cum affectus ſpecie ſenſibus facilè deprehenditur. Sin in imo corpore lateat, exercitatione opus erit, tam in partium ſingularum actionibus & vſibus, quàm in corporum diſſectionibus: Vnde partis cuiuſq; ſubſtantia, ſitus & formatio æſtimatur.*

12. *Requiritur, auctore Gal. 1. de loc. affect. vt læſæ actionis inſtrumentum primò cognoſcamus: deinde vt à parte læsâ incipientes quis noxæ modus ſit quæramus, & an diſpoſitio ſit in facto aut in fieri, an in habitu, aut habitudine: deinde an per ſe laboret, an ex conſenſu tantum afficiatur: præterea ſi laboret, an primariò vel ſecundariò. Affici autem dico ex conſenſu partem, quando motum ab alio præter naturam ſuſcipit: Laborare verò ſiue ægrotare, quando propriam diſpoſitionem præter naturam ſuſtinet. Nulla autem actio in corpore humano læditur, niſi pars actionis afficiatur aut laboret.*

13. *Symptomata ſuâ naturâ affectus, & affectuum ſedes demonſtrant. Sunt autem tria genera ſymptomatum, vt alibi dictum eſt: & in quolibet genere plura reperiuntur, quæ ſigni rationem habent: nihilominus Galenus 1. & 2. de loc. affect. Omnia ſigna, quibus ſedes affecta dignoſcitur ad quinq; capita reducit. Nam dignoſcimus partem affectam. 1. ab actione læſa: 2. ab Excretis: 3. à ſitu: 4. à doloris proprietate. 5. à propriis accidentibus. quibus addi poterit colligantia ſiue conſenſus partium.*

Quinque ſigna ſedis affectæ.

1. Ex actione læſa.

14. *Ac primum cum nulla actio lædatur, niſi pars actionis cauſa afficiatur aut laboret, ex actione læsá pars affecta præcipuè deprehenditur. Nam læsâ parte, actio illius propria neceſſariò læditur. Deinde, teſte Gal. 3. de loc. cum nulla alia ſigna apparent, actio læsâ ſufficit ad affectarum partium inuentionem.*

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 166 [11,-205 4°]

nem. Sub actione læsâ hic vſum comprehendimus; (licet actio propriè ſit motus partium factiuus; vſus verò partibus vel nihil agentibus tribuatur) Nam vſus ad affectorum locorum indagationem plurimum conducit.

15. Actio autem læſa, est partis vel ſimilaris vel inſtrumentalis. Similaris actio læditur læſo temperamento: organica vitiatâ instrumenti ſtructurâ, vel parte ſimilari principali à qua fit actio, vel ſimilaribus ei commodantibus: Item, partibus annexis. Nam non ſemper vnâ actione læsâ, vna aliqua pars peculiaris tantum afficitur, ſed ſæpè plures & diuerſæ, vt in voce & reſpiratione læsâ apparet, quæ pluriũ partium adminiculo indigent: neq; pluribus actionibus læſis ſtatim plures partes læduntur, vt in tactu & motu abolito. Quare in his omnibus artificiosâ conjecturâ vtendum est. peculiariter vitales functiones ex pulſu dignoſcuntur: naturales ex concoctione & cruditate: animales ex ſenſu & motu.

16. Vbi actionem læſam perſpexeris partemq; affectam, ad modum actionis accedendum eſt, an abolita, an debilis, an deprauata ſit Item, an pars proprio affectu laboret, an per conſenſum tantum afficiatur, quæ ſuis ſignis dignoſcuntur. Nam modus læſæ actionis ipſum morbum, aliquando morbi cauſſam nobis aperit.

17. Secundò partem affectam demonſtrant excreta. Conſiderantur autem in excretis primò ſubſtantia ſiue ſpecies excrementi: ſecundò magnitudo: tertio modus excernendi. Subſtantia excrementi triplex eſſe poteſt: vel de eſſentiâ partis alicuius, ſiue particulæ ſolutæ à membris: vel ex rebus naturaliter contentis in partibus, vt ſunt feces in inteſtinis, vrina in veſicâ &c. Vel ex rebus præter naturam contentis, ſiue, quæ morbificas diſpoſitiones conſequuntur, vt ſunt calculi in renibus & veſicâ, lumbrici in aluo &c. 2. Ab Excrementis.

18. Hæc omnia adiuncto ſemper ſitu & regione, unde

excer-

excernuntur locum affectum demonſtrant. Nam vbi tuſsiendo caro ſpongioſa exſpuitur, in pulmone vlcus dignoſcitur ſi cum torminibus deijciatur tunica vel ramenta tunicæ, vlcus in inteſtinis &c. Deinde ex rebus naturaliter contentis: ſi per vulnus vrina exeat, veſicam aut vreteres; ſi ſtercus, inteſtinum aliquod; ſi cibus, ventriculum vulneratum oſtendunt. Tertiò ex rebus præter naturam contentis, veluti ſi cum vrina lapis excernatur, renes aut veſicam; ſi tuſsi pus, thoracem; ſi grando, pulmones; ſi alui deiectione lumbrici, aluum demonſtrant. præterea ex magnitudine illius quod eijcitur: ſi cum torminibus deijciatur craſſa tunica, vlcus in craſsis inteſtinis ſignificatur: ſi tenuis, in tenuibus inteſtinis. Similiter vbi cum vrinâ excernnntur fruſta carunculis ſimilia, renes affectos eſſe demonſtrant: vbi lamularum ſpeciem referunt, veſicam. Tandem à modo excernendi: ſi ſanguis ſaliendo exierit, indicat arteriam læſam eſſe; ſin aliter exeat, venam. His omnibus addi poterunt, quæ parti alicui peculiariter adnaſcuntur: veluti ſi capiti fracto fungus adnaſcatur, indicat membranam affectam eſſe: ſi cruſtulæ exeant, quæ pars vlceris, vlcus in eâ parte, vnde excernuntur, oſtendit. Nam ſi cum vrinâ exeat, vlcus in inſtrumentis veſicæ, ſi tuſsi, in inſtrumentis ſpiritualibus; ſi vomitu, in gulâ aut ventriculo.

3. *A ſitu.* *19. Tertiò poſitus & ſitus affectam partem ſufficienter demonſtrare poteſt, vel adiunctis aliis ſignis ſcilicet, dolore, excretis & propriis accidentibus, vel ſine his ex duritie, humore & tenſione partis. Nam durus in dextro hypochondrio tumor non ſublimis & lunari figurâ, iecoris affecti nota eſt: in ſiniſtro hypochondrio, lienis: at ſi ſublimior fuerit, muſculorum abdominis. Vbi vero ſimilia ſunt excreta poſitus & regio vnde excernuntur, affectam partem commonſtrant, vt ex ſuprà dictis conſtat. Eadem ratio in dolore eſt, veluti vbi per vomitum vlceris notæ apparent, ſi dolor ſit in anteriore parte magis, & circa hy-*

chon-

pochondria, ventriculum affectum eſſe demonſtrat: Si in poſteriori parte circa dorſum, gulam. Ita dolor in imo ventre & peritonæo cum vrinæ difficultate, veſicam demonſtrat.

20. Quartò non ſolum ex doloris ſitu, ſed etiam ex doloris ſpecie ſiue proprietate dignotio partis affectæ ſumitur. Cum autem dolor ſit triſtis ſenſatio partium ſenſibilium, à ſubita mutatione, diſtinctio neceſſaria doloris ſumi debet vel à ſubiecto, vel à cauſſâ efficiente, vel ab vtroq;. Subiectum eſt pars ſenſu exquiſito vel minus exquiſito prædita in ſuperficie vel profundo corporis. Quò autem magis exquiſito ſenſu prædita eſt, facilius & vehementius dolet. Cauſſa doloris eſt intemperies ſubitò alterans, & humor, vapor & ſimilia, quatenus continuum ſoluunt: quorum ſingula in ſubiecto pro ſuâ qualitate, quantitate, motu & quiete varias dolorum ſpecies excitant. 4. Ex doloris proprietate. Diſtinctio doloris.

21. Nam ab intemperie calida fit dolor mordens, cum ſenſu caloris: ab intemperie frigidâ vbi pars reſiſtit, dolor quoq; mordicans, ſed cum ſenſu frigoris; vbi pars non reſiſtit, potius ſtupor qui impropriè ſtupidus dolor vocatur: ab intemperie ſiccâ dolor exaſperans & tendens: ab humiditate per ſe ſolâ dolor propriè non fit. Deinde materia pro ſuâ qualitate, quantitate & motu agit. Nam ab acri & mordaci materiâ, fit dolor mordax & ſtimulans: à mordaci tenui immotâ materiâ, dolor vlceroſus: à ſalsâ tenui immotâ pruriginoſus: à re acutâ, infixâ & penetrante, dolor punctorius. Eadem in cæteris ratio eſt; ſi materia quieſcat, dolor fixus oritur: ſi moueatur, errans & turgidus, qui celeriter in vicinas partes defertur: à materiæ copiâ partem diſtendente, dolor diſtendens. Ea materia ſi pondere ſuo partem premat, aut aliquid ſit, quod partem deprimat vel incumbat, dolor grauans excitatur.

22. Deinde ratione ſubiecti partibus neruoſis & exquiſiti ſenſus dolor magis acutus accidit: minus ſenſibilibus dolor ſtupidus: membranis dolor punctorius, vt in phrenitide & pleuri-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 166 [11,-205 4°]

tide: arteriis, quatenus afficiuntur, vel ab inflammatione comprimuntur, dolor pulſatorius: venis ex repletione dolor extenſiuus, ſtupidus: neruis & tendinibus, dolor conuulſiuus: carni laxatiuus & diuulſiuus: viſceribus minus exquiſiti ſenſus dolor grauans obtuſus: Perioſtio, dolor contundens, profundus: partibus in ſuperficie ſitis, dolor ſublimis; in alto poſitis, dolor profundus.

5. *Dignotio ex propriis accidentibus.*

23. Poſtremò ſedes affecta ex propriis accidentibus deprehenditur veluti deiectio ſimilis loturæ carnium recens mactatarum, hepatis debilitatem denotat: citrinus color totius corporis, obſtructionem iecoris aut veſicæ fellis; niger color, obſtructionem lienis: maxillæ rubræ, inflammationem pulmonis: faſtidium cibi, os ventriculi. Eadem in cæteris ratio eſt. Verum non vnius ſymptomatis ſed plurium aut omnium ſi fieri poterit, habenda ratio eſt, vt in pleuritide 1. de loc. Galenus fecit.

Conſenſus partium.

24. His addi poterit colligantia ſiue conſenſus partium quarundam, qui ad affectorum locorum noticiam non parum conducit. Nam læſis meningibus, bilioſi vomitus ſubſequuntur: & læſo ventriculo ex conſenſu cerebri deliria, vertigines, & ſimilia. Adiungi his ſignis poterunt, ægri temperamentum, ſexus, ætas, conſuetudo, victus ratio, iuuantia, lædentia & ſimilia.

25. Cognitâ parte affectâ, plerumq; vnà morbus & cauſſa interna morbi manifeſta erit. Nam pauca ſunt ſigna, quæ non ſimul affectum vnà cum parte affecta oſtendunt: nihilominus accidit, vt, cognitâ parte affecta, ignoretur, quomodo lædatur, an proprio affectu an ex conſenſu: Deinde quâ ſpecie morbi laborat, & an morbus in fieri ſit, an factus: præterea ſi plures morbi, an vnus alterius ſit cauſſa, ſiue an vnus ſit primarius, alius ſecundarius: Quæ omnia in curatione planè neceſſaria ſunt.

Quæ ex conſenſu laborant.

26. Ac primum proprio affectu pars ſemper laborare iudicatur, quando in parte aliquis permanens affectus conſpicitur.

Ex

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 166 [11,-205 4°]

Ex conſenſu tantum afficitur, quando aliâ parte irritatâ, ipſa vehementius moleſtatur, remiſſâ omni irritatione quieſcat. Quare ſublato omni proprio affectu, tollitur per conſenſum. Afficiuntur autem per conſenſum peculiariter inſtrumenta motus & ſenſus, quæ vim à cerebro per neruos ſuſcipiunt: vnde accidit, vt ipſis haudquaquam affectis actio eorum lædatur ob defectum tantum alicuius quod ſecundum naturam ad actionem iis adeſſe debet. primogenio affectu pars aliqua laborare putatur, cum ipſa primò affecta ſit: ſecundariò verò, quando ante eam alia pars laboret, cum quâ & à qua afficiatur.

27. *Affectus ſiue morbi ſpecies, auctore Galeno 3. de criſib. cap. 4. ex propriis ſymptomatibus ſiue Pathognomicis ſignis, quæ vnà cum morbo inuadunt, accuratiſſimè dignoſcitur: Nihilominus 1. de loc. affect. cap. 5. affectuum quatuor notas recenſet: quarum 1. ſumitur ab excretis: 2. à loci naturâ: 3. à doloris proprietate: 4. ex propriis accidentibus.* morborũ nota 4,

28. *Primò quidem ab excretis affectus ſpecies dignoſcitur, vt in ſignis locorum affectuum diximus. nam ramentum excretum, ſignum eſt vlceris: ſabuloſa vrina, lapidis: deiectio alui ſimilis ſeminibus cucurbitæ, latorum vermium: cibi non mutati deiectio, lienteriæ; potus non mutati mictus, diabetis nota eſt. Præterea ex conſideratione vrinæ non ſolum concoctio & cruditas, ſed etiam multi affectus dignoſcuntur.* 1. Ab Excretis.

29. *Secundò à loci naturâ dignoſcuntur affectus, quia aliqui morbi quibuſdam partibus proprij ſunt, aut certè non alieni; alij, alieniſſimi. Nam ſuffuſio ſolis oculis tribuitur; lumbrici in aluo propriè gignuntur &c. Contra cor abſceſſum non patitur: pulmo & partes expertes ſenſus, non dolent. Sub partis naturâ comprehendimus actionem propriam, ſitum & conſenſum. Nam actio læſa partem affectam propriè demonſtrat: modus verò læſionis, vt ſuprà dictum eſt, morbum, aliquando morbi cauſſam.* 2. A loci natura.

3. Ex doloris proprietate.

30. Tertiò ex doloris proprietate ſumuntur ſigna affectuum & cauſſarum, vt ex ſupradictis abundè conſtat. Nam inflammatio partis carnoſæ, ex dolore pulſatorio; inflammatio membranarum, ex pungente dolore dignoſcitur; plenitudo extenſiuo dolore &c.

4. Ex morbi accidentibus.

31. Quartò ex propriis morbi accidentibus morbus dignoſcitur; veluti ex colore corporis flauo, icterus: ex linguâ nigricante cum ingenti calore, febris ardens: ex vnguibus aduncis cum ſputo purulento graueolenti, tabes: ex horrore intempeſtiuo cum febre, phlegmonis ſuppuratio &c. His ſignis plura addi poterunt ſcilicet, à ſexu, ætate parentum conſtitutione, ab anni tempore, habitu corporis, à iuuantibus & lædentibus, à victu, à conſuetudine, à morbis publicè graſſantibus & ſimilibus.

32. Non enim vnius ſigni conſideratio ſufficit. Deinde ſigna aliquando ſibi mutuò contraria ſunt, aut minus manifeſta: aliquando morbi, eorumq; ſymptomata ita ſimilia ſunt, vt, niſi à medico exercitatiſſimo, facilè diſcerni nequeant, vt in Colicâ & Nephritide apparet. Præterea morbi non rarò complicantur, ac ſinguli ſeorſim propter alterius admiſtionem non facilè deprehenduntur. Inſuper, quemadmodum plantæ erumpentes, ita morbi, ſtatim vt incipiunt, difficilimè dignoſcuntur ob ſignorū paruitatem, aut quia cauſſæ ſatis firmatæ non ſunt. Quare in dignoſcendis affectibus accurato iudicio vtendum erit, & in initio, vbi omnia minus manifeſta ſunt, de ſpecie morbi non ſemper pronūnciandum. Magnitudo morbi æſtimatur ſemper ex magnitudine ſymptomatum propriorum, ſicut mos morbi ex ſuperuenientibus ſymptomatibus, vt in prognoſticis dicemus.

Signa cauſſarū.

33. Hactenus de dignotione præſentium in morbis, quà affectus & affecta pars inuenitur, dictum eſt: ſupereſt vt de dignotione præteritorum agamus, ſcilicet de inuentione cauſſarum, quæ affectiones faciunt aut præcedunt. Cognoſcuntur quidem vno interdum indicio morbus & morbi cauſſa proxima:

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 166 [11,-205 4°]

aliquando locus affectus vnà cum cauſſa: Verum accidit non rarò, vt cognito affectu & parte affectâ cauſſa affectus ignoretur, cuius cognitio medico planè neceſſaria eſt. Nam in curatione requiritur, vt ſciamus, an cauſſa adhuc agat, an deſiit agere: ſi agit, an per partem duntaxat tranſeat, an in parte contineatur. quæ omnia ex ſuprà dictis facilè intelliguntur. Nam ſi per partem tantum tranſeat, permanens diſpoſitio non oritur, ſed velut affectionis vmbra, quæ ſublatâ actione tollitur: at ſi in parte contineatur & firmetur, permanentem diſpoſitionem gignit & confirmat: quæ poſt actionem relinquitur & ex effectis, ſcilicet, ex ſymptomatum magnitudine æſtimatur. Continetur autem cauſſa, ſi morbus ſimilaris ſit in propriâ partis ſubſtantiâ temperamentum immutans; ſi morbus compoſitionis, in parte affectâ tanquam in organo, eius ſtructuram lædens.

34. Omnis cauſſa vel externa & euidens eſt, vel interna & occulta, vt alibi dictum eſt. Externa cum euidens ſit, ſignis non indiget, ſed ſigni rationem potius habet. Internæ & occultæ cauſſæ, ſcilicet contenta præter naturam in corpore & contentorũ diſpoſitiones, Plethora & Cacochymiâ ac quæ repletioni opponitur inanitio, certis ſignis dignoſcuntur & manifeſtantur. Signa illa vel tantum ſigna ſunt & conſequuntur cauſſas, vel pariter ſigna & cauſſæ quæ ſuâ naturâ præcedunt affectus.

35. Signa quæ cauſſæ ſimul rationem habent, ſunt temperamentum totius corporis, ac potiſſimum partium principalium: deinde ætas, ſexus, conſuetudo, parentum vitia: Item, morbi præteriti: præterea ex ſex rebus non naturalibus exercitatio, vitæ ſtudium, euacuatio naturalis ſuppreſſa, aër & quæ ſub aëre continentur, regio, ſtatus cœli, tempus anni, balnea & ſimilia. ab his cauſſis humores redundantes gignuntur & geniti dignoſcuntur. Signa ſimul & cauſſæ.

36. Simpliciter ſigna ſunt, corporis habitus ſcilicet obeſus, craſſus, carnoſus, hirſutus: deinde color & quæcunq; in corpore erum- Simpliciter ſigna.

erumpunt, tactiles qualitates ſcilicet durities, mollities &c. Item, inſomnia & functiones, præcipuè pulſus: præterea ex rebus non naturalibus, excrementa ſcilicet vrina, feces, ſudores, ſputa, &c. Vigiliæ & ſomnus ac mores animi. quibus omnibus addi poterunt iuuantia, lædentia & ſimilia. Hi fontes, ſignorum ſunt vnde omnis redundantia humorum dignoſcitur.

πληθώρα.

37. *Redundantium humorum in corpore duplex eſt diſpoſitio, Plethora & Cacochymia. Plethora, redundantia ſanguinis vel omnium humorum æqualiter ſe habentium, duplex viciſſim eſt, quoad vaſa, vel quoad vires, vt alibi dictum eſt.*

Plethoræ ſigna.

38. *Ac primum Plethoræ quoad vaſa, ſigna, quæ cauſſæ rationem habent, ſunt corporis temperatura calida humida, præcipuè verò iecoris & cordis: adoleſcentia; tempus vernum: victus plenior & liberalior: vita iucunda: exercitatio ſolita omiſſa: balneatio à cibo: ſuppreſſa aliqua euacuatio ſanguinis &c. Simpliciter ſigna quibus ſanguinis redundantia dignoſcitur, ſunt color totius corporis & faciei potiſſimum, roſeus & floridus ex albo & rubro mixtus: habitus carnoſus cum halituoſo calore. vrina copioſa ſubſtantiâ & contentis mediocris: mores animi iucundi & ſedati: ſomnus placidus, cum inſomniis iucundis: pulſus validi magni: ſudor copioſus, dulcis, maximè ſi habitum corporis occupauit: inflammationes & morbi conſueti à ſanguine: facilè euacuationes ſanguinis ſuſtinere & lædi à calidis humidis &c. Vbi verò Plethora aut redundantia aliqua humorum, vires premit: aderunt grauitas corporis, pulſus imbecillis, inæqualis, putredines, cruditates & ſimilia.*

κακοχυμία.

39. *Cacochymia propriè eſt, cuiuſcunque alterius humoris, à ſanguine redundantia: ac proinde triplex potiſſimum, bilioſa, melancholica, vel pituitoſa, vt alibi dictum eſt.*

Bilis redund. ſigna.

40. *Bilem redundare oſtendunt, primùm cauſſæ antecedentes bilem gignentes, ſcilicet conſtitutio corporis calida & ſicca, præcipuè verò iecoris & cordis: ætas iuuenilis: tempus*

æſti-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 166 [11,-205 4°]

æſtiuum. victus tenuis: alimenta calida, ſicca, acria. inedia, nimia exercitatio: ſuppreſſa bilis euacuatio &c. His alijſque cauſſis, vbi redundauerit bilis flaua hæc ſigna apparebūt: nimirū color corporis præcipuè faciei & oculorum citrinus & flauus, qualis in Ictericis. habitus corporis ſiccus, macer: venæ amplæ diſtentæ: pulſus velox, frequens, durus: vrina flammea, ſedimenti pauci excrementa biliosa: puſtulæ in corpore bilioſæ: calor corporis acris, mordax: iracundia, vigiliæ, aut ſomnus inquietus cum inſomniis iracundis: frigidorum appetentia & ſimilia. Vbi verò bilis peculiariter in cerebro redundarit, aderunt delíria, iracundia cum vigilijs: ſi ad os ventriculi confluat, ſitis, nauſea &c. ſi ad inteſtina, diarrhœa bilioſa &c.

41. *Redundat Melancholia in corporibus ſiccis, conſtitutionis melancholicæ & in triſtibus curis & moleſtiis implicitis, autumno potiſſimum, aut ſtatu temporis inæquali, in locis ſiccis frigidis, ex alimentis craſſis ſiccis: aliquando ſuppreſſâ euacuatione melancholiæ ab obſtructione Lienis &c: Adeſſe redundantiam illam demonſtrant calor corporis obſcurus, fuſcus, præcipuè faciei: fœda ſcabies: maculæ nigræ: habitus macilentus: affectus mœſtus fixus: pulſus paruus tardus rarus: metus & triſticia ſine manifeſtâ cauſſa: ſomnus turbulentus cum inſomniis horridis & terribilibus: vrina tenuis alba interdum craſſa, liuida: excrementa melancholica erumpentia: leuamen ab ijs, quæ melancholiam purgant & bonum ſuccum gignunt. Verum ſi bilis nigra aduſta fuerit quæ mediam quandam naturam inter melancholiam & bilem flauam ſortitur, mixta magna ex parte ſigna aderunt.* *Melancholiæ ſigna.*

42. *Redundantia pituitæ aut aquoſi humoris euenit corporibus frigidis humidis, ſenibus, otioſis, bibulis, voracibus, ſomnolentis & ſimilibus, hyeme aut in aëre & locis humidis frigidis, ex alimentis pituitoſis, aut vitæ ratione humectante: qualis eſt à cibo frequens balneatio, ingluuies &c. His addi poterit ſuppreſſio conſuetæ excretionis vrinæ.* *Signa pituitæ.*

43. Re-

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 166 [11,-205 4°]

43. Redundantiam pituitæ demonſtrant, color corporis albus, liuidus, habitus obeſus, tumidus: œdemata morbiq; pituitoſi: deiectiones pituitoſæ: ſaliua copioſa & mucus per nares: vrina alba aut pallida, nunc tenuis, nunc craſſa turbida: ſegnities, ſomni profundi cum inſomniis aquoſis: leuamen à calidis ſiccis &c. Aliquando actione caloris pituita ſalſa efficitur, quæ mixtis ex bile & pituita ſignis dijudicatur.

Flatus. 44. Flatus immodici, ſoboles cruditatis, ijs naturis accidunt, qui cruditatibus, obſtructionibus lienis &c. obnoxij ſunt, aut frigido humido ventriculo præditi, ac cibis flatulentis vtuntur, crapulâ, ingluuie & ſimilibus. Adeſſe flatuum copiam demonſtrant fluctuationes, rugitus, flatuum eructiones & ſuppreſſiones; vt in colica: dolor vagus, tenſiuus: palpitationes, aurium tinnitus: inſomnia rerum celeriter mouentium, violenterq; impellentium &c.

Inanitio. 45. Inanitio, quæ nihil aliud eſt, quàm abſentia eorum quæ ad ſanitatem requiruntur, vt ſunt humorum, ſpirituum aut ſubſtantiæ ſolidæ, eodem modo, quo repletio dignoſcitur. Nam ſigna quæ cauſſæ rationem habent, ſunt conſtitutio corporis calida ſicca, rara, acribus & tenuibus ſuccis prædita: vis retẽtrix debilis: copioſæ euacuationes: aër ſiccus calidus: vigiliæ, inedia & cæteræ cauſſæ manifeſtæ, quæ corpus & humores exhauriunt ac ſpiritus diſſoluunt. Simpliciter ſigna ſunt habitus corporis ſqualidus, extenuatus: color non naturalis: pulſus languidus: actionum omnium debilitas & ſimilia. His accedunt leuamen à reficientibus, offenſio ab euacuantibus.

46. Hæ ſunt notæ communiſſimæ præcipuarum cauſſarum latentium in corpore. an verò in parte aliqua peculiari redundet materia morbifica; propriis illius partis notis dijudicatur & æſtimatur: de quibus in explicatione ſingulorum morborum partiumq; affectarum, Deo iuuante dicemus.

FINIS.

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 166 [11,-205 4°]

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Royal Library, Copenhagen.
LN bis 166 [11,-205 4°]